UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Cap. XII. De externis ritibus atq[ue] cærimoniis, & de Festis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45885

Visual Library

Collyrii Hæreticorum Lib. II. 4 Reg. 2.

vilitas aquæ ſanata eſt; quantò magis divinis precibus ſacrata, ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat atq; expurgat, ac cetera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & à phantaſmaticis verſutiis hominem defendit? Nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti Salvatoris ſalvatos infirmos eſſe non dubitamus; quantò magis virtute ſacrorum ejus verborum divinitus ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? Hæc Alexander.

Matth. 16. Marc. 6. Luc. 8.

2\. *Item luminariũ, ex cera & oleo, tam in Eccleſia, quàm in exequiis defunctorum ex priſcũ ſaeculo; juxta S. Athanaſiũ.*

Cereos & luminaria etiam Apoſtolorum temporibus in locis Deo conſecratis fuiſſe, teſtatur ſeptuageſimus primus Canon ipſorum Apoſtolorum: cujus Canonis verba ſic habent: *Si quis Clericus aut laicus ceram vel oleum ex ſancta ſurripuerit Eccleſia, à communione excluditor.* Sanctus Joannes Damaſcenus in Concione de Defunctis, citans Athanaſium, ita loquitur: *Athanaſius ille Magnus in Sermone undecunque concinno, quem in eos qui obdormierunt ſcripſit, hæc dicit: Etiamſi is qui in pietate defunctus eſt, ſub dio collocetur, ne omiſeris oleum & ceram (invocato Chriſto Deo) ad ſepulchrum accendere: accepta enim Deo ſunt hæc, plurimamq́; ab ipſo referunt retributionem. Oleum enim & cera, holocauſtum eſt: incruenta autem Hoſtiæ oblatio, propitiatio eſt: quod verò in pauperes confertur beneficium, omnis bonæ retributionis eſt augmentum.*

CAPUT XII.

De externis ritibus atq; cæremoniis, & de Feſtis.

1. Externa cærimoniæ in Officio divino, & precibus, adjuvant internam devotionem, corpuſque Deo humiliant.

2. Feſtorum dierum obſervatio ab Apoſtolis inſtituta fuit, ut S. Ignatius teſtis eſt.

1\. *Devotio adjuvatur externis geſtibus, & cærimoniarum ritibus.* Ioan. 4.

DEUM noſtrum, qui ſpiritus eſt, rectè colimus, non ſpiritu ſolùm, ſed etiam corpore externiſque ritibus; nempe capitis inflexione, genuum ſubmiſſione, manuum elevatione conjunctioneq́ue, vocis prolatione atq; cantu, & aliis conſimilibus modis. Nam cùm nos non ex inviſibili tantùm, ſed ex viſibili quoque conſtemus naturâ, juſtum omnino eſt ut ipſi Conditori noſtro duplicem adorationem offeramus, videlicet inviſibilem & viſibilem. Parum quidem aut nihil prodeſt externa adoratio, ſi deſit interna: per externam tamen, interna plurimùm juvatur. Eas cærimonias divini cultus, quas Eccleſia obſervat probatq́ue, convenientiſſimas eſſe agnoſcit, quiſquis rerum ſacrarum rationes perdidicit, & humilis eſt.

2\. *Apoſtoli inſtituerunt Feſtorum obſervantiam, teſte Canone Apoſtolico, & S. Ignatio.*

Feſtorũ dierum meminit quinquageſimus primus Canon Apoſtolorum in hunc modum: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, carnibus ac vino feſtivis diebus per abominationem & non propter animæ exercitationem abſtineat, deponitor.* Beatus etiam Ignatius,

Collyrii Hæreticorum Lib. II.

Joannis Evangeliſtæ diſcipulus, in epiſtola quam ſcripſit ad Philippenſes, ait: *Dies feſtos nolite inhonorare.*

CAPUT XIII.

De libero arbitrio, & fide atque operibus.

1. Si non eſt in nobis liberum arbitrium, fruſtrà nobis ſuadetur oratio, & conatus; fruſtra proponitur pœna & præmium, quæ ideò brutis minimè competunt.

2. Non poteſt quidem liberum arbitrium bonum facere ſine gratia, ſed nec ipſa gratia ſalvat adultos ſine libero arbitrio.

3. Fides ſola ſine charitate boniſq; operibus, nec juſtificat, nec ſalvat.

1\. *Qui negant & tollunt liberum arbitriū, tollunt orationes, hortationes, præcepta, & præmia cū pœnis.*

QUOD hominis arbitrium non eſſe liberum, & fidem ſine bonis operibus ad ſalutem ſufficere prædicant hęretici, nimirum occaſionem & fomentum totius iniquitatis ſibi ſuiſque diſcipulis præbent. Si nobis deeſt arbitrii libertas, ſi non voluntate eligente; ſed neceſſitate cogente, peccamus; injuſtus eſt Deus, qui peccantes æternis tormentis addicit. Si arbitrium noſtrum non eſt liberum, omnino coacta eſt vita noſtra: fruſtrà homines rationis participes dicimur, fruſtrà accepimus præcepta benè vivendi, fruſtrà Deum precari, fruſtrà petere, quærere, pulſare, atque ad virtutem eniti nos Scripturæ cohortantur: fruſtrà Deus per Prophetam clamat: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos:* denique nos nihilo præſtantiores ſumus brutis animantibus, quæ neque laude vel præmio, neque vituperatione aut ſupplicio dignum quidquam agunt, cùm regere naturam non poſſint, ſed ad quęlibet proſequęnda uti naturalis inſtinctus commovet) ferantur.

Luc. 11.

Iſa. 1.

2\. Non poſſumus quidem per nos eligere aut facere bonum: cęterùm voluntatem noſtram gratiæ Dei adjungere debemus; quæ gratia prævenit, cooperatur, & ſubſequitur. Sicut beatus Auguſtinus ait: *Sine voluntate noſtra, non eſt in nobis juſtitia Dei. Voluntas ſanè non eſt niſi noſtra, juſtitia non eſt niſi Dei: eſſe poteſt juſtitia Dei ſine voluntate noſtra, ſed in nobis eſſe non poteſt niſi per voluntatem noſtram.* Deus non juſtificat nolentem: veluti ſol non illuminat illius viſum, qui oculos ad ſolis claritatem aperire non vult. Libertas arbitrii noſtri per peccatum, quo omnes in Adam prævaricatores facti ſumus, infirmata eſt, non adempta.

3\. Si fides ſine bonis operibus ſufficeret ad ſalutem, Chriſtus non dixiſſet: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* ſed dixiſſet, Si vis ad vitam ingredi, fidem habe tantùm. Non etiam Paulus clamaret: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Igitur non quæcunque fides, ſed ea quæ per charitatem Deo adhæret, & bona operatur, ſalutem cōciliat: quemadmodum idem Paulus Apoſto-

lus